



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jus Canonicum Ad Libros V. Decretalium Gregorii IX.

Huth, Adam

Augustæ Vindelicorum, 1732

24. De Officio Archi-Presbyteri

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63433)

les, beneficiales, quæ per Trid. *sess. 24. c. 20. de reform.* reservatæ sunt Episcopo. §. Non excommunicat, nec suspendit, aut interdicit. *c. 5. h. t.* nisi vel consuetudine vel ab Episcopo obtinuerit, quo sensu intelligitur *c. 7. de præb.*

TITULUS XXIV.

De Officio Archi-Presbyteri.

Q 1. *Quis dicatur Archi-Presbyter? Resp.* Quæ reliquis Presbyteris in iis, quæ Sacerdotalis officii sunt, cum imperio præest. *c. 1. h. t.* Archi-Presbyter dicitur quasi *primus Sacerdotum*; alio nomine appellatur *Decanus*. Alius est *Archi-Presbyter Urbanus vel Civitatensis*, qui in civitate Episcopali omnibus Ecclesiæ suæ Presbyteris præest, sive sit *Ecclesia Cathedralis, sive Collegiata*. Alius *ruralis sive forensis* (idem est ac *Decanus ruralis*) qui extra civitatem Episcopalem tum plebis, tum Parochorum, aliorumque Clericorum per minores Ecclesias & titulos habitantium curam gerit.

Q 2. *Quodnam sit officium Archi-Presbyteri Civitatensis sive Decani Ecclesiæ Cathedralis? Resp.* De *jure communi* est Vicarius Episcopi *natus* in pertinentibus ad officia Sacerdotalia, uti Archidiaconus in temporalibus: sic v. g. *absente vel impedito Episcopo* Missarum solennia celebrat. *Collectam*, h. e. Missam feralem dicit, impertitur benedictiones, inungit infirmos &c. *c. 1. 2. 3. h. t.* In *foro interno* in Ecclesia Cathedrali eam habet